Que a terrarum baronibus ecclesijs conferuntur regalibus scriptis indigent roborari, ne temporis diuturnitate obliuioni tradantur, neque possint sicut nec debent ab eorum successoribus reuocari. Eapropter modernis ac posteris presentibus innotescat quod ego Ferrandus Dei gratia rex Toleti et Castelle, una cum uxore mea regina dona Beatrice, et cum filio meo Alfonso, ex assensu et beneplacito domine Berengarie regine genitricis mee, facio cartam concessionis, confirmationis, roborationis et stabilitatis Deo et ecclesie beate Marie cathedrali de Toleto, uobisque dono Roderico uenerabili patri et amico meo eiusdem instantis archiepiscopo Hispaniarum primati, et omnibus uestris successoribus, perpetuo ualituram. Concedo itaque uobis, roboro et confirmo donationem castrorum emptorum, uidelicet Male Monete, Duarum Germanarum et Cedenelle, cum omnibus terminis eorum et pertinentijs, quam uobis fecit donnus Alfonsus Tellij, ut ea habeatis et possideatis pacifice in eternum. Siquis uero hanc cartam infringere seu diminuere in aliquo presumpserit, iram Dei omnipotentis plenarie incurrat, et cum Iuda Domini proditore penas sustineat infernales, et regie parti mille aureos in cauto persoluat, et dampnum uobis super hoc illatum restituat duplicatum. Facta carta apud Fresno, xviii. die Ian. Era Mª. CCª. LXª.

Et ego rex F. regnans in Toleto et Castella hanc cartam quam fieri iussi manu propria roboro et confirmo.

Rodericus Toletane sedis archiepiscopus Hispaniarum primas confirmat.

Mauricius Burgensis episcopus confirmat.
Tellius Palentinus episcopus confirmat.
Geraldus Secobiensis episcopus confirmat.
Lupus Segontinus episcopus confirmat.
Garsias Conchensis episcopus confirmat.
Melendus Oxomensis episcopus confirmat.
Dominicus Abulensis episcopus confirmat.
Dominicus Placentinus episcopus confirmat.
Iohannes domini regis cancellarius, abbas Uallisoleti confirmat.

Aluarus Didaci confirmat.
Alfonsus Tellij confirmat.
Rodericus Roderici confirmat.
Iohannes Gonsalui confirmat.
Suerius Tellij confirmat.
Rodericus Gonsalui confirmat.
Guillelmus Gonsalui confirmat.
G. Ferrandi maiordomus regine domine Berengarie confirmat.
P. latius maior merinus in Castella confirmat.

Egidius iussu cancellarij scripsit.